

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1760

**Auteur(s) :** Évreux (official)

**Bénéficiaire(s) :** Le Bec-Hellouin, Notre-Dame (abbaye)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1278, 13 septembre

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Vidimus, de l'official d'Évreux, d'une bulle du pape Honorius III au sujet des dîmes que percevaient les religieux du Bec et d'une autre du pape Eugène III leur confirmant la possession du prieuré de Beaumont.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° CIV, p. 79-80.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris, officialis curie Ebroicensis, salutem in Domino. Noveritis nos, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> LXXmo octavo, die Martis post nativitatem Beate Marie Virginis, vidiōse litteras que secuntur : Honorius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Beccensibus, salutem et apostolicam benedictionem. Nec novum est nec insolitum aut indignum romanam ecclesiam hiis exhibere gratiam specialem quos conspicit religione florere. Cum igitur monasterium vestrum, per Dei gratiam, pollere religione noscatur, ut merito debeat penes apostolicam sedem gratiam invenire, vobis auctoritate presencium indulgemus, ut in parrochiis, in quibus habetis veteres decimas totaliter seu parcionaliter ab antiquo, tantam partem percipiatis de decimis quoque terrarum, quas de cetero deduci contigerit ad culturam, quantum in veteribus decimis noscimini obtinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Laterani VIII Kalendas Januarii, pontificatus nostri anno quinto. Item alias litteras vidimus in hec verba. Eugenius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis L... abbati Becci ejusque fratribus, salutem et apostolicam benedictionem. Officii nostri nos hortatus auctoritas, ut quos erga sanctam romanam ecclesiam et nos ipsos devociores esse cognoscimus, propensius diligamus, et suam eis justitiam sedis apostolice munimine confirmemus. Hujus rei gratia, dilecti in Domino filii venerabilis fratris nostri R... Ebroicensis episcopi, precibus inclinati, vestris justis postulationibus gratum impertimur assensum, et possessionem ecclesie Sancte Trinitatis de Bellomonte, cum omnibus pertinenciis suis, a venerabili fratre nostro Hu. Rothomagensi archiepiscopo, canonice vobis adjudicatam, auctoritate vobis apostolica confirmamus et presentis scripti munimine roboramus, salvis nimirum prebendis canonicorum superstítum. Si quis autem hanc nostre confirmationis paginam, sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tercio commonitus, si non satisfactione congrue emendaverit potestatis honorisque sui dignitate careat, atque indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, incurrat. Datum Viterbi, IIII, Kalendas Idus Decembris.